SHERMANNI

HIST. COLL. JES. CANTAB.

EDIT. J. O. HALLIWELL.

Price 4s.


UNIVERSITY OF TORONTO
VELUT ARBOR ÆVO

Hugh Weightman Esq.
with the Editor's best regards

COUNCIL

OF THE

CAMBRIDGE ANTIQUARIAN SOCIETY.

President.

The Rev. Ralph Tatham, D.D., Master of St. John's College, and Vice-Chancellor of the University of Cambridge.

Rev. H. W. Cookson, M.A.

Rev. Professor Corrie, B.D.

Sir Henry Dryden, Bart., M.A.

J. O. Halliwell, Esq., F.R.S., Secretary.

Rev. C. H. Hartshorne, M.A.

Rev. James Hildyard, M.A.

Rev. John Lodge, M.A.

Rev. J. J. Smith, M.A., Treasurer.

HISTORIA

COLLEGII JESU CANTABRIGIENSIS.

A J. SHERMANNO,

OLIM PRÆS. EJUSDEM COLLEGII.



EDIDIT ET NOTIS INSTRUXIT

J. O. HALLIWELL,

SOC. REG. LOND.; SOC. ANTIQ. LOND.; SOC. REG. ASTRON. LOND.; SOC. REG. LITT. BRITT.; SOC. REG. ANTIQ. SEPTEN. HAFN.; SOCIUS. SOC. REG. ANTIQ. FRANC.; SOC. REG. GEOGRAPH. PAR.; SOC. REG. ASIATIC. PAR.; SOC. REG. ETHNOL. PAR.; CORRESP. SOC. REG. ANTIQ. ÆLIAN.; INSTITUT. REG. CAMBR.; SOC. ANTIQ. OXON.; SOCIUS HONORAR., &c., &c., &c.

LONDINI:

VENEUNT APUD THOMAM RODD:

CANTABRIGIÆ, T. STEVENSON.

MDCCCXL.



CANTABRIGIÆ: EXCUDEBANT METCALFE ET PALMER.

VIRO REVERENDO

JOSEPHO HUNTER, S.A.S.

CUJUS FAMA,

QUATENUS COMITATUM ANGLIÆ RES DESCRIBENDAS

SPECTAT,

PRÆ CÆTERIS SCRIPTORIBUS

ET NUNC ET OLIM EXISTENTIBUS

INNOTUIT:

QUIQUE DE OMNIBUS

QUOTQUOT STUDIO ANTIQUITATIS DEDITI SUNT

UNICE OPTIME MERUIT:

SEU SINGULAREM IPSIUS IN HAC PARTE DILIGENTIAM,

SIVE ERGA ALIOS, EOSDEMQUE SIBI LONGE INFERIORES,

CONSTANTEM FAVOREM ET PATROCINIUM

RESPICIMUS:

HIC LIBER

ADMIRATIONIS ET OFFICII TESTIMONIUM

AB EDITORE ET AMICO SUO GRATISSIMO

INSCRIBITUR.

A. S. MDCCCXL.

LECTORI.

Quod hodie tibi in manus traditur opusculum, ordinem ducit eorum quæ de Collegio Jesu apud Cantabrigienses serie aliquatum protracta narraturi sumus. Ejus rei causa jam nunc materiam unde undique colligimus, et huic studio enixe operam damus. Sed ne recentiorum laboribus priorum opificum industria obumbretur, æquum censuimus suam cuique laudem in primis reddere, nec coronam mortuis detrahere, quo decentius vivorum capita ornaremus.

Shermanni itaque historiam prius typis mandari curavimus, quam quid nos in hoc genere possimus experti sumus; in quo opere fungendo nec observationes nostras, nec, si quas habuerimus, animadversiones subjecimus, sed qualem ipse reliquit purum putum codicem edidimus. Opem haud perexiguam ad hunc laborem subeundum debemus viro, in literis omnibus instructissimo Thomæ Wright, A.M. ob quod ipsius meritum, aliaque nobis alias suppeditata auxilia, grates libentissime agimus. Vale.

Coll. Jes. Cantab.
Kalend. Mart. M.DCCCXL.

HISTORIA COLLEGII JESU

CANTABRIGIÆ.

Reliquæ $S^{tæ}$ *Radegundis sive Fragmenta quædam Historiæ Prioratûs.*

Quæmadmodum e casis vilioribus et paupertinis tuguriis, in humiliorem villam coeuntibus, urbes nominatissimæ decursu temporis excreverint, in quibus rudes incultique pagani in cives urbanos, in prætores, consulesque evaserint, haud absimili prorsus ratione, e tenuioribus ludis literariis, et grammaticorum, rhetorumque gymnasiis illustriores philosophorum scholæ gradatim extiterint, in quibus ex abcedariis principiis alumni feliciter proficientes, in A. M. numerum, in linguarum scientiarumque professorum ordinem adscribebantur. Quin et Cantabrigiam urbem ab ultima autiquitate musis dicatam ex angustioribus studentium hospitiis et conductiliis ædibus, ex obscurioribus monachorum cænobiis, in elegantiores et augustiores Collegiorum fabricas instauratam et ex Collegiis inter se sociatis, in Academiam longe celeberr. efformatam sensim inclaruisse satis notunt qui Caium doctiss. aliosque sive rerum Anglicarum sive Academicarum scriptores, vel primis, quod aiunt, labiis degustarunt.

Ab iisdem quoq. scriptoribus traditum accepimus, Cœnobiam velatarum virginum, professionis S. Radegundis in hoc, quod incolimus musarum domicilium, Collegium Jesu vulgo nuncupatum, commigrasse. De hoc itaque Coll. dicturi, quo rem alius repetamus, de cœnobio S. Radegundis, de ejusdem ortu, incremento, et occasu demum paucula præfari, necessum habemus.

Cœnobii originem quod attinet, quanquam cellulæ molem primitus non superabat fundationem perantiquam et illustrem sibi vendicat.

Malcolmum 4^{tum} (Thoma Walsinghamo Malcolmum, Buchanano Milcolumbum, dictum, e cujus familiâ Jacobum Seren. Car. 2^{di}. avum, Anglorum Regens oriundum memorat Camdenus, cujus etiam genealogiam, longâ nepotum serie, a Malcolmo ad Jacobum usque deductam ipsi vidimus) Regem Scotorum Fundatorem suum Prioratus S. Rad. semper agnovit. Hic siquidem Rex, virtute magis quam ætate provectus (quem Guil. Newbrig. Regem christianiss. appellat) cartâ sua regio diplomate munitá, in Collegii Archivis conservatâ, innominato vero die, ut moris tunc erat, 10 acras terræ monialibus de Grantebridge (cujus oppidi dominus erat, utpote Comes Hunting. et Cantabr.) juxta Greencroft concessit, in perpetuam eleemosynam ad fundandam Ecclesiam suam Conventualem, sub redditu annuo duorum solidorum, ad altare ejusdem Ecclesiæ solvendorum.

Hujus donationis Malcolmi, tum Rotulæ Turris Lond. in Comitat. Hunting., tum Monasticon Angl. meminerint. Idem Malcolmus Rex cartâ suâ secundâ (sans date) prædictas terras monialibus confirmabat, cum relaxatione redditus annui supradicti, easdemque ab omni servitio seculari liberas et quietas esse jussit. De fundatione itaque Domus S. Rhadegundis liquet, verum de fundationis tempore non item.

Nuperus quidam Scriptor D. Fullerus dictum Monasterium S. Rad. per Malcolmum 4. Regem an. 1133 positum

fuisse disertis verbis scribit; verum vir utcunque bene doctus, historicus tamen ut erat planc rapsodus, hic crasse erravit. Malcolmum enim 4, non ante annum 1154 regnare cæpisse testantur Scriptores Angl. Holingsh. p. 185, et Rad. Brokes, p. 255, eundemque obiisse an. 1165, inter Latinos testantur P.Virgilius, l. 13, et Rog. Hoveden, p. 282, qui etiam duos cometas, tanti principis obitûs prodromos, eo anno apparuisse narrat. His quoque inter Scotos succenturiantur Jo. Major, l. 4, cap. 4, et Buchananus, lib. 7, qui insuper addit Malcolmum 25 ætatis anno (qui retro numerando, in an. Domini 1140 incidit) diem obiisse.

Quisquis sane Math. vel Westmon. vel Paris, Tho. Walsingham, Rad. de Diceto, Johannem de Brompton, aliosque istorum temporum scriptores antiquiores et probatiores consulerit, is facile deprehendet eos omnia gesta Malcolmi 4. in istud temporis intervallum, quod ab an. 1154 ad an. 1165, continuo decurrit, uno ore pariter rejicere. Hos autem ego omnes eo cumulatius appello testes, omni exceptione majores, quo facilius Fullerum hujus erroris hac in parte convincam. Si enim Malcolmus 4 non ante an. 1154 regnare cœpit, etiam nec an. 1140 natus fuerit, dic sodes mi lepidiss. Fullere, qui Prioratum S. Rhad. an. 1133 condiderit. Ex dictis ergo, intra an. 1154 et 1165 per Malcolm. conditum fuisse constat, de ipso autem fundationis anno præcise loquendo nihil constat.

Buchananum si audiamus, Malcolmus noster juvenis admodum vir regnare cœpit, et regni sui initio arduis negotiis domi, viz. seditionibus, foris bellis implicitus fuit, quo minus negotio Religionis promovendo statim vacaret. Cum enim David Malc. avus, velut alii volunt, Henricus ejus pater, et post illum Malc. comes erat Hunting. etiam et Cantabr., dicente Seldeno Tit. Hon. p. 650, sub hoc titulo, Henrico 2do. Angl. regi tanquam domino suo ligio homagium debuit, quod etiam et præstitit, non verbis modo sed reapse, dum Henrico in expeditione Tholosanâ comitem se adjunxit.

Hac autem expeditione peractâ circa an. 1158 in patriam rediit, ubi turbata deprehendit omnia. Verum rebus circa an. 1163 in melius versis, compositis domi pacatisque subditorum animis, cumque foras pax esset, ad artes (quas Scoti dudum dedicerunt) avitas (ut verbis Buchan. utar) ad sacrarum ædium extructiones et in monachos largitiones sese contulit.

Quas autem ædes religiosas construxit Malc. Buchan. (vir erga istiusmodi ædes male animatus) non meminit. Hovedenus autem, p. 282, abatiam de Cupre ab ipso instauratam an. 1164 fuisse diserte narrat. Et circa hunc an. quoque Prioratum S. Rad. positum fuisse, ex dictis facile statuerem, nisi quod inter Archiva coll. inspexi cartam Theobaldi Archiepi. Cant. 37, quâ donationem hanc Malcolmi confirmat. Theobaldus autem an. 1160, testante Godwino, fato functus est.

Si itaque opinionem nostram proferre liceat (ubi scriptores omnes prorsus silent), statuo primam donationem Malc. monialibus concessam (cujus supra meminerimus) ante mortem Theobaldi, circa an. 1159, factam fuisse, et fortsan dum ab expeditione Tholosanâ in Scotiam rediit per Hunting. Carta enim quanquam non diem donationis, locum tamen, nempe Hunting., notat.

Hanc autem donationem primam, cartâ 2[da] confirmavit et auxit circa an., ut opinor, illum 1164, cum nempe pacato rerum statu, ædium sacr. instaurationi, testibus scriptoribus prædictis, se totum addixisset. Ex supradictis ergo constat, quod Cœnobium S. Rad. non erat (quod asserit Fullerus) conditum per Malc. Regem an. 1133, quippe quod eo anno Rex non fuit, etiam ante annum 1140 Malcolumus non fuit. Constat insuper, quod ante 1160 fundatum fuit, quippe quod ante illum an. per Theobaldum confirmatum legitur. Denique quod fundatio Malc. ante an. 1160 facta, non cartâ ejus 2[da] confirmata fuit ante an. 1163. Id etsi non adeo constat, ex iis quæ diximus, tamen probabile videatur.

Verum quanquam Cænobium S. Rad. per Malc. 4 non anno 1133 fundatum fuisse, contra Fullerum hactenus plane demonstravimus, illud tamen non est dissimulandum (quod forsan Fullerum fefellit) quod circa an. dictum, fortasse et ante illum annum, erat domus quædam religiosa velatarum virginum, etiam hoc ipso in loco posita. Quod quidem licet nemo, quod sciam, hactenus notavit, (in hac enim Historiâ conscribendâ, viam prorsus intritam calcamus) illud tamen ex Coll. Archivis palam faciam.

Imprimis huic opinioni fidem faciunt, omnia illa quæ in Coll. Archivis visuntur (sans date) vetustiora instrumenta, in quibus sola fit mentio Sanctimonialium de Grantbridge. Etiam et illa, in quibus mentio fit monialium de Grantbridge juxta Greencroft. Greencroft autem continet totam illam terram, quæ intra confinia Collegii et fluvium Cham dictum ad gregem oppidanum in communi pascendum, interjacet, et a villâ Cant. versus occidentem usque ad Monasterium Barnwellense versus Orientem, sub fluminis ripam undique diffunditur) nulla insuper in dictis instrumentis adjectâ mentione monialium S. Rad., quod plane addendum foret, si moniales tunc temporis Professionis Rhadegundinæ fuissent. Porro duæ illæ cartæ superius memoratæ, quæ Malc. donationem continebant, idem plane innuere videntur. Prima enim carta dicti Regis in hanc formam currit.

Malcolmus R. Sciatis me dedisse Deo et monialibus de Grantbridge 10 acras terræ juxta Greencroft, ad fundandam Ecclesiam suam Conventualem. Secunda autem ejusdem Malc. carta stylo plane novo fluit. Malcolmus R. Sciatis me dedisse Deo et Ecclesiæ S. Mariæ Virginis et S. Rhadegundis, et sanctimonialibus Deo ibidem servientibus decem acras terræ juxta Greencroft. Ex quibus inter se collatis illud videtur insinuari, quod ante primam Malc. cartam erant moniales juxta Greencroft commorantes, vulgo dictæ Sanctimoniales de Grantbridge, verum Ecclesia Conventuali destitutæ. Quâ demum Ec-

clesiâ, post Malc. primam donationem instauratâ, Sanctimoniales ex Professione S. Rhadegundis vulgo vocari cœperint.

Hæc si leviora videntur, quæ tamen suo pondere non carent, illud saltem aliquod momenti habet, quod proximum notandum venit. Guil. Monachus Aurifaber, terras quasdam apud Shelford monialibus de Grantbridge, dono dedit, et sub titulo quidem Monalium de Grantbridge titulo S. Rhadegundis neutiquam addito. Iisdem quoque monialibus, et prædicto titulo etiam insignitis, Honoratiss. Domina Constantia Filia Ludovici Crassi Gallorum Regis, Comitissa Bononiensis, uxor Eustachii primogeniti Stephani Anglorum Regis filii, aquis immersi, concessit totum jus piscaturæ quæ ad Burgh. Cantabr. pertinuit.

Utramque autem donationem, tam illam Guil. Monachi Aurifabri, quam hanc Constantiæ Comitissæ, factam fuisse ante Malcolmi fundationem, extra omnem controversiæ aleam positum est. Utraque quippe per Stephanum Regem confirmata fuit; qui quidem Rex Stephanus eodem anno regnare desiit quo Malcolmus incepit. Simul itaque probavimus domum monialium ante fundationem Malc. non modo constructam fuisse, verum etiam et dotatam.

Quamdiu vero ante Malc. tempore domus hæc Monialium fuit instaurata, anno 1133 a Fullero nominato, an ante illud tempus, non habeo quod audacter dicam; quod autem circa illud tempus contigit, unica quam inspexi carta aliquantulum suadere videtur, verum non et prorsus persuadere.

Carta autem erat Nigelli, in quâ concedit terræ portionem sanctimonialibus juxta cellulam extra villam Cantabr. noviter institutam. Hanc donationem Nigelli confirmabant Prior Elien. et Conventus ejusdem Ecclesiæ, monialibus cellulæ extra villam Cantabr. noviter commorantibus. Nigellus autem erat Episc. Elien. 2^{dus}, et eo ipso anno consecratus, quem hujus cellulæ fundationi, per Malc. factæ, assignat Fullerus, viz. anno 1133, Maii mens. 28.

Si itaque dixisset Fullerus cœnobium monialium juxta Greencroft fundatum fuisse an. 1133, a vero forsan non multum aberrasset; quod autem addidit, idem a Malcolmo dicto anno fundatum fuisse, in eo, ut probavimus, erravit.

Verum enimvero, ut dicam quod sentiam de hac cartâ Nigelli, nihil sane certi inde colligi possit de tempore fundationis hujus cellulæ. Nigellus enim 2dus erat, ut diximus, Episcopus Elien., et anno supra dicto consecratus, et si hæc carta statim post ejusdem consecrationem data fuit, hinc revera probaret cellulam monialium primo conditam fuisse circa an. a Fullero designatum. Verum cum hæc carta Nigelli (pro more scriptorum vetustiorum) est sans date, ideo non constat quin data revera fuit non multum ante ipsius mortem, quæ contigit 1169. Quod si ita opiniari liceat (ac sane liceat), tunc ista verba (cellula monialium noviter instituta) potius novellam fundationem Malcolmi (nempe circa an., ut diximus, 1159 positam, et 1164 confirmatam) quam primam illam fundationem an. sc. 1133, per Fullerum designatum, respicere videantur.

Verum cum hæc in utramque partem trahi possint, ea equidem in medio relinquenda esse duximus, cum enim nos satis probavimus prioratum monialium ex professione S. Rhad. circa an. 1159 per Malcolmum primo positum fuisse, et circa an. 1164, confirmatum, aliis discutiendum relinquimus, quo anno domus Sanctimonialium de Grantbridge (quæ illo ipso in loco, quem Domus S. Rhad. postea occupavit, stetit) primitus posita fuit. Cum autem cœnobium per Malc. fundatum, S. Rhad. erat dicatum, (et in ejus Cartâ 2da. superius recensitâ Domus S. Rad. nuncupatum), de Sanctulâ hac pauca asscribere non gravabor.

S. Rhadegundis, sive Rhadegunda nonnullis dicta, erat Bercharii Thuringiæ apud Germanos reguli filia, circa an. 1120 nata, avumque Basinum, patruumque Hermenefridum reges habuit. Bello autem inter Thuringiæ et Francorum

reges orto, et debellato mox Thuringorum rege, Rhadegundis inter alia opima belli spolia in Lotharii Francorum Regis (Filii 4ti Clodovei 1mi inter Gallos regis Christiani) sortem venit.

Lectissima mehercule puella, digna quæ (Paulo Æmilio judice p. 10.) vel unica belli merces petereetur. Natione erat barbara, ætate tenera, religione vero Christianâ mox instituta, et viro demum matura regi Lothario, invita licet, desponsatur. Verum regina licet jam facta, pompam aulicam adeo despecatui habuit, et jejuniis, precibus, eleemosynis adeo se totam addixit, et inter aulicos, vitam adeo per omnia asceticam instituit, ut jugalem monacham potius quam reginam duxisse Lotharium aulici joco dicerent, neque quidem a vero dictum prorsus abhorrebat.

Siquidem non ita multo post Rhad. maritali toro se clam subducens, Novionum venit, et deposito juxta istius Ecclesiæ altare regali apparatu, coram Menandro Episcopo votum nuncupavit, vestemque suscepit religiosam. Tandem licentiâ a Lothario rege impetratâ, (Menard. conc. Reg. p. 670) in urbe Pictaviensi abatiam S. Crucis regulis S. Cæsarii subjectam condidit, conditamque dotavit, et ibidem abatissa professa est, usque dum circa an. 1190. diem supremum clausit. Hæc nempe est illa Rad., quam Baronius et Centuriatores Magd. celebrant, dum hujus reginæ monachæ vitam e Venantio Fortunato (qui in ejus laudem epigrammata composuit) ex Bandoniâ moniali, S. Rad. consorore, (quæ ejus gesta recensuit), et ex Gregorio demum Turonensi, qui illi suprema persolvebat, fusius describunt, e quibus scriptoribus inter se collatis hanc Rad. historiolam excerpimus. Hæc inquam est illa nobiliss. fœmina, cujus a pompâ curiali in cellulæ angustias recessum, cujusque vitæ monasticæ severiorem disciplinam, laudabant plures, et in tantum mirabantur omnes, ut a gloriâ mundanâ spernendâ nomine gloriosæ virginis ubique inclaruit, quamque vivam omnes deprædicabant tandem fato mox functam adorabant.

Neque enim ratio aliqua subesse possit, cur sanctulæ honore inter Romanenses fraudaretur; miracula enim dum adhuc erat persona laica, plura vero postquam erat professa edidit; majora autem postquam inter Divos relata fuit, juxta ejus altare visa sunt. v. Vincent. Belv. Hist. Spec. l. 21, c. 80, 90, 91. Lipp. Grass., &c.

Et sane postquam inter sanctos numerabatur regina Rad., equum erat ut ejus in honorem devoti magis cultores fundarent templa, ad illius altare preces funderent, et vota facerent. Nec in Gallia modo, verum etiam in Angliâ statim post conquestum, cultoribus gloriatur.

In com. Cantiano apud Bradsole pagum juxta Dubrim situm monasterium S. Rhadegundi dicatum legimus; cœnobium sane tantâ Patronissâ dignum, quippe cujus abbas per Breve Reg. ad Parl. vocatus, sub Edw. 1mo inter regni proceres locum sortitus est. Libera capella ejus quoque in honorem in cryptis Ecclesiæ lata S. Pauli Lond. (sub jurisdictione Decani et Capituli) erat dictata, cujus capellæ reliquia somniaque istius Ecclesiæ lata monumenta antiquiora clariss. Dugdalius e flammis et fatorum faucibus, felici quidem manu, animo vero infeliciter præsago, eripuit, p. 226.

Cumque hæc insuper nobiliss. regina Rad. dum in vivis fuit in sanctorum reliquiis (quam cultus dicente Baronio tunc temporis in Galliâ vigere cœpit), vel ab ultimo oriente undique congerendis, operam sumptumque impendisset; non defuere inter Rad. cultores nonnulli, qui ipsius quoque reliquias pari veneratione prosequentes et undique conquisitas, inter reconditiora sua cimelia reponerent. Unde factum est, quod in Monasterio Glaston. unicum hujus reginæ os, inter sacrorum farraginem monachi ostentarent. Mon. Angl. p. 6.

Inter omnes vero sui cultores, neminem Malcolmo 4. majorem Rad. numerat, qui cœnobium hoc (cujus historiam adornamus) et fundavit quidem, et terrarum dominicalium largitione dotavit. Quod autem Malc. Rad. sibi in sanctulam suam, et prioratus sui Deam tutelarem elegerit, illud

forsan arctissimi illius inter Gallos Scotosque fœderis ab ipsis Achaii et Caroli Magni temporibus initi, memoria suasit: vel quod potius crediderim (si conjecturæ nostræ locus sit, ubi scriptores omnes prorsus tacent), Malc. hujus reginæ amore tum primum flagrare cœpit, cum in Galliâ (quo cum Henrico 2do proficisci cogeretur) ejus fama aures utrinque verberavit, animumque ad religionem mire propensum fortiter pertentavit. Dignum sane sui nominis cultorem adepta est Rad. Malcolmum, Malcolmus quoque dignam sortitus est quam pronus veneraretur sanctulam Rhadegundam. Malcolmus rex erat, et recte quidem amore Rad. reginæ ardet; rex erat, sed Guil. Neubrig. dicente, l. i. c. 25. inter aulicos plane monachus, reginam utique monacham colit. Hæc Lotharii Regis amplexus respuit, testante Baronio; ille, eodem dicente Guil. Neubrig., Heroinam lectiss. puellam a matre suâ lecto admotam, intactam fugit. Denique, ut paria hic omnia videantur, Rad. uxor licet Lotharii, virgo tamen fuit; Malc. quoque ab abhorrendis nuptiis virgo communiter dictus erat. Dempster. Hist. l. 12. Illam scriptores Gallici inter suæ gentis sanctulas, hunc Scoti inter divos gentiles numerant. Illud autem judicio lectoris permitto, an illa inter Deas, an hic inter Divos Romanenses referri magis meruit.

Nos autem de ortu hujus Prioratus per Malc. regem fundati, et Rad. reginæ dicati, plus satis diximus. De ejusdem incremento, de Benefactoribus, viz. qui S. Rhad. professiones suis insuper largitionibus auxerunt, porro dicendum.

Regia erat plane fundatio Domus S. Rad., regali insuper munificentiâ aucta, Episcopali, Archiepiscopali, et Pontificia authoritate fuit stabilita.

Henricus 3tius Angl. Rex, quandam terræ portionem, intra prioratum et fossatum Regium sitam, monialibus largitus est. Edv. 3tius licentiam indulsit ponendi terras in manum mortuam, in usus monialium, ad valorem an. 5 lib.; Ricardus 2dus ad valorem 10 lib.

Nigellus Episcopus 2us Elien. quasdam terras cellulæ monialium continguas in earum possessionem transire fecit. Theobaldus Archiepiscopus Cant. 37us Malcolmi donationem cartâ suâ firmavit. Lucius 3^{tius} Pontifex Rom. eandem quoq. bullâ suâ (apostolicâ quoque benedictione impertitâ) munivit.

Cumque in honorem Rad. Galliæ reginæ, ut diximus, dicatum fuit hoc Monasterium, e Gallis quoque sui cultoribus nonnulli adnumerandi qui ad gentilis sanctulæ famam augendam sua quoque symbola addiderunt.

Inter quos primo nominandus venit Joan. Le Moine Miles, qui 50 acras terræ in campis de Shelford Mag. jacentes, (quas ex donatione Hen. 3^{tii} habuit) sanctimonialibus legavit. Illius donationem Nic. Joannes et Nic. Joannis filii confirmant augentque.

Steph. de Escallariis Gallus (circa Hen. 3^{ti} ætatem, juxta Caxton in com. Cantabr. magni nominis vir referente Camdeno in com. Cant.) cum consensu Guil. filii sui Rhadegundis bona, terr. et ten. adjectione in villâ de West-Wrating ampliavit. In eadem quoque villâ, Agnes de Northo Ingleisa, uxor Simonis de Bonis, alias terræ acras contulit.

Dedit insuper,

Maltild. Uxor Roberti Bestume fundos in campis de Abington.

Petronella de Coates, alios in campis de Barton.

Adam Capellanus de Litlington, fundos suos in Litlington.

Guil. Bateman et Guil. Suetye, tenementa et redditus in parochiis $S^{tæ}$ Trinitatis et $S^{tæ}$ Mariæ.

Joan. Marshall et Jo. Porthois burgenses Cantabr. terras et pascua in campis Cantabr. et Barnwell.

Singulas donationes prædictas Edw. 2^{dus} rex cartâ sua monialibus confirmavit.

Jo. de Trippelowe, rector de Hardwicke in Com. Cant. et de Reymerson in Com. Norf., contulit 8 messuagia in

parochia S. Rhadegundis, terrasque in campis prædictis sparsas. Advocationem quoque de Reymerson, ut opinor, dedit.

Jus perpetui patronatûs rectoriæ Ecclesiæ Omnium Sanctorum Cantabr. sanctimoniales, ex dono Guil. Stirmi, possident; rectorium vero Galfridus Episcopus 3^{tius} Eliensis appropriari monialibus jussit.

Rectoria Ecclesiæ parochialis S. Rhadegundis appropriata erat monasterio circa an. 1291, reservatâ pensione 40 sh. vicario Omnium Sanctorum, per moniales quotannis solvendâ. Eodem tempore parochia S. Rhadegundis adunata fuit parochiæ omnium Sanctorum, a quâ olim disterminabatur per Fossatum Regium.

Perpetuum advocationem rectoriæ S. Clementis Cant. Hugo Absolon, consilio Eustachii Eliensis Episcopi 5^{ti} motus, in manus monialium tradidit, quam eisdem dictus Episcopus appropriari jussit, Galfrido et Hugone Epis. Elien. succedaneis, Eustachii factum suis cartis, Honorio 3^{tio} et Alexandro 4to Rom. Pontificibus Galfridi et Hugonis acta suis bullis corroborantibus, quibus etiam omnia alia bona et possessiones S. Rhadegundis de gratiâ sua uberiori eisdem monialibus concedunt.

Prætereundem non est, quod circa an. 1401, Tho. Arundell Archiepiscopus Cant. in metropoliticâ visitatione Cantabrigiæ habitâ, ad instantiam Adami de Walsoken vicarii S. Clementis decrevit quod moniales S. Rad. domum ad residendum accommodam dicto vicario, propriis sumptibus vel instaurarent vel conducerunt.

Neque Ecclesiam modo dictam ad moniales pertinen., verum et ipsas ædes S. Rad. prædictus pater invisit. Dominam Isabellam priorissam et singulas commoniales et consorores seorsim et privatim examinavit, et examinatas juramento canonicæ obedientiæ obstrinxit.

Neque Cantabrigia prius cessit Archiepiscopus, quam Senatum Acad. et Collegia singula, omni potestate et jurisdictione tam episcopali quam archiepiscopali exempta, novâ jurisdictione usus visitaverat.

Missis autem Collegiis, ad cœnobium nostrum redeamus. Rex Hen. 6tus concessit monialibus facultatem habendi feriam [nundinas] in vigiliâ, in die, et in crastino assumptionis B. Mariæ Virginis. In die B. Mariæ Virg. Assumptionis, eo quod (ut opinor) Ecclesia conventualis hujus prioratûs B. Virgini Mariæ simul et S. Rad. dicata fuit. In vigiliâ istius diei, fortsan qui S. Rad. dies ista natalis fuit. Id certe ex Lipeloo et Grassio constat, quod mense Augusti (et quantum conjicio circa hunc ipsum diem mensis) nata fuit.

Henricus Rex prædictus eodem instrumento prioratûs hujus possessiones ab omnibus decimis aliisque quotis partibus domino regi solvendis, quietas esse et solutas mandavit.

Mitto alias quamplurimas donationes reddituum exeuntium e domibus et officinis in parochiis S. Petri extra portas Trumpington. et S. Johannis Bapt. jam extinctis, aliisque in locis, monialibus concessas. Reticendum tamen non est, quod Hospitium Ovyngi, vulgo dict. Ovyngs Hostle, in parochiâ S. Michaelis (præter alia tenementa in dictâ parochiâ, quæ in possessionibus Collegii S. Trin. nunc, ut opinor, sunt,) inter possessiones hujus domus dinumerandum erat. Hosp. sane olim non incelebre, in quo multi viri docti diversabantur.

Mitto insuper innumera munuscula quæ vicini villæ Cant. micolæ morientes legabant, una cum corporibus quoque suis, in Ecclesiâ conventuali sepeliendis, ut participes fierent omnium precum et missarum per capellanum celebrand., quem (una cum confessore) certo stipendio conductum moniales alebant.

Tres autem quatuorve concessiones, minoris licet pretii, monialibus tamen gratas et acceptas enumerare placuit. Galfridus de Scalariis, Gallus, annuam pensionem 13 sh. e terris suis de Crawdon legavit, ad sustentandas lampadas in Ecclesiâ S. Rhad. perpetuo ardentes. Hugo filius Absalonis, Robertus de Heliun, et Amicia Bacun de Staunton,

donarunt terras ad usum domus quæ dicebatur Infirmariæ, i. e. ad sustentanda onera monialium ægrotantium. Insuper ad condienda cibaria quadrages. Reginaldus filius Hugonis dedit tres cumbas [12 modios] (ut verbo ipsius instrumenti donationis utar) salis quotannis pendendas. Denique ne deessent, qui officia quotidiana et necessaria Dominæ Priorissæ et Monachis præstarent, Amicia Bacun superius memorata iisdem dona dedit Guil. Chamneys nativum suum, cum totâ sequelâ ejus, in puram et perpet. eleemosynam.

Per omnia ire non licet, eo quod chartas in Coll. Archivis repositas (e quibus cætera depromenda forent) alias, quorundam incuria maculis deturpavit, alias manus sacrilega diripuit, alias denique tempus rerum edax consumpsit.

Quod ad summam totalem omnium reddituum ad prioratum spectantium, non habeo quod fidenter statuam. Nonnullas Rotulas computus (qui quotannis ad festum Mich. perficiebatur) inspexi, quarum summas totales oculis subjicere visum est.

		lib.	sh.	d.
Summa totalis omnium reddituum	An. 29. Hen. 6th	24	01	10 ob
	An. 30. Hen. 6th	32	10	02
	An. 39. Hen. 6th	74	02	04

Verum hæc ultima rotula, inter redditus annos, plura arreragia (prout dicebantur) et recepta forinseca complectebatur, adeo est non tam ex ultimâ quam ex mediâ rotulâ de summâ totali reddituum prioratus judicandum esse autumo.

Singulæ rotulæ linguâ latinâ (per capellanum opinor), sed barbarâ et Anglicissimis ubique respersa, erant concinnatæ. Ad finem unius rotulæ precatiunculas observavi S. Ethelredæ, Ecclesiæ Elien. sanctulæ, adjectas fuisse. In cæteris rotulis S. quoque Rhadegundam opinor invocabant. Et hactenus de Fundatore et Benefactoribus hujus Domus Religiosæ diximus.

De Priorissis et Monialibus in hac domo professis, quæ ad manum habemus, subnectenda sunt.

Prioratus S. Rad. constabat ex Priorissâ et undecim monialibus ex congregatione nigrâ ordinis S. Benedicti. Ordo Benedict. inter religiosos satis celebris, nigra autem congregatio, inter Anglos primo inventa est, et in illum quidem finem, ut nigro vestium colore monachi vel monachæ Romanenses, traditionem Rom. Ecclesiæ in Paschalis celebratione rituque tonsuræ per omnia sequentes, seipsos tanquam symbolo discriminarent, a monachis et monialibus Britonum et Scotorum, qui a ritibus prædictis recedentes, veste subalbicante utebantur. Reyner. Hist. p. 36.

Ex hac autem nigrâ congregatione Benedict. professas fuisse Priorissas et moniales S. Rad. testantur Caius, p. 72, et Harpsfeld sub finem Historiæ. Priorissa in scriptis quandoque vestustis, (et in ipsa statuorum Collegii præfatione) abatissa nuncupatur, et prioratus S. Rad. dicitur etiam abatia S. Rad. in Chronico Guil. Thorn. p. 21, 65.

Nomina Priorissarum vel Abatiss. nusquam, quod sciam, constant, nomina tamen quarundam, diligentiori inspectione, factâ, ex indenturis quibus fundos elocabant, eruimus. Indenturæ (quod obiter notarem) erant sigillatæ sigillo, imagine virginis impresso, (opinor S. Radegundis) quæ habitu religioso vestita, una manu caduceum, alterâ libellum gestabat, cum hac inscriptione, Sigillum S. Radegundis.

NOMINA PRIORISSARUM.

42 Hen. 3 Dera.
7 Edv. 1. Amicia le Chamberlayne.
21 Edv. 1. Helena.
30 Edv. 1. Agnes Burgulun.
10 Edv. 2. Cecilia.
6 Edv. 3. Mabilia Martyn.
20 Edv. 3. Alicia.
33 Edv. 3. Eva Wasteneis.
44 Edv. 3. Margarita Clarill.
2 Ric. 2. Alicia Pilet.
2 Hen. 4. Isabella Sudbury.
9 Hen. 4. Margeria Harling.
4 Hen. 5. Agnes Seyntelow.
8 Edv. 4. Joanna Lancaster.
12 Edv. 4. Eliz. Walton.
1 Ric. 3. Joanna de Cambridge.
8 Hen. 7. Joanna de Fulburne.

Sex insuper alia Priorissarum nomina occurrunt :

Elena.	Mabilea.
Letitia.	Agnes.
Milesentia.	Constantia.

Hæc autem cum in Instrumentis, sans date, conspiciantur, inter seniores Priorissas sub Stephano, Hen. 2do, vel Joanne regibus, reponendas esse autumo. Illud monendum, annum nempe affixum nominibus Priorissarum suprascriptis, non indicare ipsum annum quo præesse cœperint, iste enim de paucis constat, sed annum notatum, ab ipsis, dum præfuerunt in indenturis factis. Si ab etymo nominis, argumentum desumptum quicquid valeret, quæ a nobis recensetur ordine octava, ante omnes prima et quasi omnium Priorissarum communis parens dici mereatur.

Verum quicquid de primâ Priorissâ statuendum sit, audacter tamen pronuntiare licet, Joannam de Fulburne ultimam huic Prioratui præfuisse. Cujus rei mihi fidem facit, frequens nominis istius mentio, sub Priorissæ titulo, in indenturis an. 8vo Hen. 7^{mi} i. e. triennio ante Cœnobii dissolutionem, factis. Electio Priorissæ ad moniales spectabat, quæ, quâ demum formâ peragi solet, non ingratum opinor erit docere.

Vacante Prioratu monialium B. Mariæ et S. Rad. Ord. Benedict. per mortem religiosæ mulieris dominæ Agnetis Seyntelow Priorissæ ibid. [ex Regro. Epi. Elien. tom. 3.] quæ 8vo Sept. 1457, diem clausit extremum, vacationis intimatio facta est R. Patri Episcopo Elien. per Matildam Sudbury subpriorissam et præsidentem Ecclesiæ regularis prædictæ, una cum libello supplici, in quo humillime moniales petunt licentiam novæ Priorissæ electionem celebrandi, quâ licentiâ demum concessâ, prædicta subpriorissa (sine præsidens) omnes commoniales in Domum Capitularem, 23 Sept. convocavit, ubi de futurâ electione, die 27 habendâ, ex communi consensu statutum est; quo

die, celebratâ prius missâ, in ecclesiâ conventuali, et monialibus ad sonitum campanæ in domo capitulari comparentibus, decretum est, tres moniales eligere compromissorias, viz. dominam Joannam Lancaster, Eliz. Walton, et Kath. Seyntelow, quæ prius adjuratæ, suffragia sua primo ferrent, mox in scrutinis starent, et consororum (postquam juratæ fuerant) suffragia acciperent.

Forma juramenti adhibita talis erat:—Ego J. L. adjuro te per patrem, filium, et s. spiritum, et in animæ tuæ periculum, ut secundum Deum et conscientiam tuam, illam nomines et eligas in Priorissam, quam huic Prioratui vacanti utiliorem esse credis.

Secundum hanc formam adjuratæ erant moniales, primo scrutatrices, et dein suffragia dabant in hæc verba:—Ego J. L. consentio in N. N., ipsamque nomino et eligo in Priorissam hujus Prioratûs. Deinde singulæ commoniales sua ferebant suffragia in eadem verba, mutatis mutandis. Et postquam jam tandem singulæ adjuratæ fuissent, et suffragia tulissent, cumque collatis inter se suffragiis compertum esset, quod non nisi undecim erant moniales expressè professæ, jus suffragii habentes, et quod ex iis 7. in Joannam Lancaster consenserant, tum demùm Eliz. Walton, cæterarum mandato, dictam electionem, invocato prius Christi nomine, publicabat in hanc formam:—

Ego Eliz. Walton monialis et consoror, etc. consensû et mandato Præsidentis et totius capituli (dominâ Joannâ Lancaster exceptâ) religiosam fœminam dominam Joannam Lancaster, in honorem omnipotentis Dei et gloriosæ virginis Mariæ et S. Radegundis, in nostram et nostræ ecclesiæ Priorissam eligo.

Hanc publicationem cæteræ omnes (Joannâ exceptâ) approbârunt; dictamque Joannam renitentem licèt, ad magnum altare ecclesiæ suæ conventualis, *Te Deum* devotè canentes, duxerunt, juxta morem solitum, eamque ibidem posuerunt ad terram coram altari prostratam. Finito can-

tico, dicta electio coram populo ad pulsationem campanæ congregato publicata erat in linguâ vulgari, antè horam 12 antemeridianam. Quibus peractis, omnes consorores prædictam Joannam electam duxerunt ad vestibulum ejusdem ecclesiæ, ibidemque dimiserunt. Redeuntibus verò omnibus tempore postmerid. ad domum capitularem consororibus, consensum est, ut Eliz. Walton et Kath. Seyntelow, acta et processum totius electionis dominæ Joannæ prædictæ presentarent, ipsamque etiam, si opus fuerit, rogarent, quatenus huic electioni canonicè celebratæ assensum suum præberet, quod ab iis factum est, horâ 4tâ. ad vestibulum ecclesiæ prædictæ. Domina autem Joanna electa instanter rogata, ut assensum electioni præberet, primò respondebat, se velle deliberare, tandem verò earundem precibus devicta, et post multas excusationes, electioni consensit, sub hâc formâ :—

Ego Joanna Lancaster monialis et consoror ecclesiæ regularis, sive Prioratûs B. Mariæ virginis et S. Rad. de Cantabr. ordinis Benedictini, ordinem regularem in eâdem ecclesiâ expressè professa, in ætate legitimâ constituta, libera et legitima, et legitimo matrimonio procreata, vacante dictâ ecclesiâ, per mortem bonæ memoriæ dominæ Agnetis Seyntelow ultimæ Priorissæ ejusdem, in Priorissam dictæ ecclesiæ, sive Prioratûs, concorditer et canonicè electa, et ex parte Præsidentis capituli sive conventûs, per procuratrices ad hoc deputatas instanter requisita, ut electioni de Joannâ Lancaster factæ, meum præberem consensum pariter et assensum, et existens adhuc intra tempus, mihi ad consentiendum, indultum, nolens diutiùs resistere divinæ voluntati, ad laudem et honorem Dei omnipotentis, B. Mariæ et S. Rad., in quarum nomine dicta ecclesia regularis fundata et consecrata existit, huic electioni de me factæ, mihique præsentatæ, expressè consentio pariter et assentio, in nomine Patris, etc.

Et hæc quidem de Priorissis dicenda habuimus. Quod ad moniales, ex supradictis de electione Priorissæ constat,

quod numero erant undecim, quæ expresse professæ, jus suffragii in cœnobio habebant, quarum nomina sequuntur:

1. Matilda Sudbury, quæ et Suppriorissa et Præsidens dicitur.
2. Agnes Daneys.
3. Emma Denton.
4. Joanna Lancaster, Sacrista.
5. Alicia Granfield.
6. Eliz. Walton, succentrix.
7. Katherina Seyntelow, celeraria.
8. Margarita Mesham.
9. Elena Craneswiçhe.
10. Emma Hore.
11. Joanna Kaii, alibi Thesaurissa dicta.

Duo insuper occurrunt nomina:

Agnes Seoffyn, Suppriorissa,
Agnes Banester, Thesaurissa. } 38 Hen. 6.

Neque aliud nomen monialis invenio, præter unius Berthæ, in Ecclesiâ conventuali sepultæ, cujus epitaphium Fullerus memorat, p. 83:

"Moribus ornata jacet hic bona Bertha Rosata."

Quod Bertha una ex iis monialibus fuit, quæ non ita multo ante Prioratûs dissolutionem, inibi professa fuit, inde conjecturam capio, quod urna prædictá inscriptione decorata erat non multis retrò annis effossa, nempe circa an. 1644, quo tempore, obortâ rebellione, fœdæ sácrilegorum manus, collegii sacellum turpissimè violantes, hanc quoque bonæ Berthæ urnam inter alia defunctorum monumenta dehonestarunt.

Quod si quæ superstites, tunc temporis erant, moniales, virtutum bonæ Berthæ rosario fuissent ornatæ, non utique cum Berthâ, tota quoque domus S. Radegundis jacuisset. De cujus domûs occasû, de Prioratûs suppressione, sive dissolutione, ipsâ narrationis serie ducti, pauca deinceps dicturi sumus.

Monasterium S. Rad., quanquam diù stetit, scilicet ab Henrici 2[di] temporibus usque ad Hen. 7[timum], annos nimirum trecentos præter, propter quasi tamen infausto sidere dominante positum fuisset, haud diù floruit etiam neque diu stetisse recte dicatur, sæpiuscule enim vacillabat, etiam

quandoque repentinos casus sensit, ultimum sui excidium mox insecuturum male ominantes.

Anno quippe 1277 in ruinas subitaneas collapsæ erant ædes Rad., an. 1344 igne correptæ, an. 1376 ineluctabili incendio miserabiliter vastatæ et planc annullatæ, quo demum infortunio ad tantam inediam redactæ erant moniales ut stipem quasi publice emendicare cogerentur. Instauratâ vero demum 1390, tempestate (magnâ ex parte) domus erat denuo prostrata.

Hæc omnia testantur indulgentiæ pro collectione eleemosyneâ, ad Prioratûs instaurationem et monialium sustentationem, ab episcopo Eliensi, Norwicensi, Lincolniensi, necnon ab archiepiscopo Cantuarensi concessæ, e quibus instrumentis, inter collegii archiva repositis, verbisque inde mutuatis, hæc quæ de Prioratûs infortuniis diximus, recitavimus. Paucis dicam, temporibus Edv. 4^{ti} paulatim labi, et in pejus ruere videbatur hæc domus, donec urgentibus tandem post longam annorum seriem fatis, funditus interiit.

Anno enim Henrici 7^{mi} 11, dilapidatis Prioratûs bonis, collapsis ædificiis, corruptis virginibus, recedentibus Priorissâ et monialibus omnibus, duabus exceptis, Prioratus S. Rad. mandato regis Henrici prædicti supprimebatur. Sub Henrico inquam septimo, quod iterum repeto, ut Harpesfieldi versutiam perstringam, qui sub finem historiæ, has ædes enumerat inter illas quas Henricus 8^{vus} comestor absorpsit. Erat ille quidem sacrorum helluo, sed ut quod verum est dicam, hunc bolum non devoravit, non diruebat ædes Radegund. Hen. 8^{vus}, suâ quippe mole ruebant sub Hen. 7mo, monialium, non regis, Hen. vel 7^{mi} vel 8^{vi} vitio periêre. Rich. Harpsfield Coll. Novi alumnus Archidiac. Cant. erat Aulæ Albæ et Laurent. apud Oxon. principalis, verum natione licet et institutione Anglus, religione tamen Romanus, proinde ea vitio Hen. 8^{vi} vertit, quæ Hen. 7^{mi} virtuti tribuenda forent, quo facilius in religionem reformatam odium et infamiam derivaret.

Coronidis loco notabo, quod Baronius Annalium tomo 8vo refert, Abbatiam etiam illam ipsam supradictam, quam S. Radegundis Pictaviis fundavit, quam Gallicanæ ecclesiæ episcopus literis commendavit, et in eorundem clientelam concessit, quamque Lotharius Rex privilegiis munivit, etiam hanc ipsam Abbatiam, idque intra triennium, ab obitu Radegundis, moniales inibi professæ, unà cum S. Rad. tumulo ibidem posito, non sine magno religionis scandalo violarunt. Filiæ nimirum devorabant matrem.

Quod si ædes suas, suis in mirum sumptibus constructas, regulis institutas, sartas tectas vel tantillum conservare non valuerit S. Rad., quid miremur, si Deam tutelarem hujus Prioratùs se minus præstitit?

Si quas ipsa Rad. regina sibi posuit ædes, brevi vacillaverint, nemini mirari subeat, si domus quam Malcolmus rex Radegundi dicavit longo temporis decursû labefactata ruat.

Atque ita demum S. Radegundis historiolam adornavimus, in qua tam multa desiderari, vel primo intuitu lector intelligat, ut statim agnoscat titulum hujus sectionis, non inconsulto a nobis positum fuisse, in quo fragmenta tantum Prioratûs exhiberi insinuavimus.

Verum pauca licet hæc sint, istiusmodi tamen sunt, quæ ex solutis cartis mucore confectis, ex pergamenæ segmentis putridis, visum etiam et tactum pene effugientibus, ex instrumentis veteruosis, blattas inter et tineas, consumptis, non nisi improbo labore eruimus.*

* I here give the copy of the original inscription in Jesus College Chapel:—

Hic jacet Frater Johannes : De Pyrenham : Magister : Sacre Theologie : quondam Prior : hujus : loci cujus : Anime : propicietur : Deus.

+ Moribus : ornata : jacet
+ hic : bona : Berta : Rosata.

Ed.]

Fundatio Collegii et Benefactores.

Postquam jam tandem Prioratus per mores monialium perditissimos in religionis scandalum et religiosum dehonestamentum, domusque sacræ gloriosæ virginis S. Radegundis in nomen inglorium abierat. Cumque ædes jam desertæ et desolatæ aliquandiu jacuerant, ne eædem pro derelictis habitæ, vel primo occupantibus, vel sacrilegis et rapacibus manibus in prædam cederent: id episcopo Eliensi sedulo curandum unicum restabat.

Reverendus autem pater Jo. Alcocke, recolendæ memoriæ præsul, tunc temporis sedem Eliensem ornabat. Vir quidem qui a teneris annis bonarum literarum et pietatis studio tam feliciter operam collocabat, ut magnum et præclarum nomen sibi per totam Angliam compararet: studio indefesso, frequentibus vigiliis, asperioribus jejuniis, aliisque severioris disciplinæ rationibus, sibi semper severus, meritis indies suis inclarescens, in sedem episcopalem Roff. primo suffectus, dein in Wigorn. tandem in Elien. translatus fuit.

Reverendus autem pater, antiquæ et religiosæ domus S. Rad. ruinas contueri ægrè sustinens, licentiâ ab Hen. 7mo rege sibi in id factâ, cœnobium in collegium convertebat, idemque in honorem B. Mariæ virginis, S. Joan. Evang. et gloriosæ virginis S. Radegundis dedicari jussit. Vulgo autem appellari collegium Jesu, et magistrum, sociosque et scholares ejusdem collegii, Jesuanos, et magistros, socios, et scholares collegii Jesu communiter dici voluit: et Jesuani quidem non infrequenter in registro episcopali Eliensi, scriptisque antiquioribus nuncupantur.

Hujus tam Reverendi Antistitis pietatem, an prudentiam, an munificentiam denique magis laudarem, haud facilè judicaverim. Pietatem, quod S. Matris ecclesiæ patrimonium, ad usus profanos abalienari non commisit; prudentiam, quod

cellulam virginum velatarum, academiæ tam proximè vicinam, in collegium studentium, qui cultui divino, a monialibus jugiter celebrato, bonarum artium, et scientiarum studium adjungerent, transtulit: munificentiam denique, quod ruinosas monialium ædes, in amplissimum musarum domicilium instauravit.

Collegium eâ figurâ ab ipsis plane fundamentis construxit quæ monasterium etiamnum referat, et quantum ad situm, id sanè loci occupat, quod musis est accommodatissimum, viz. ab oppidanorum strepitû et tumultû remotissimum. Quod observabat olim serenissimus rex Jacobus, et eo nomine collegium Jesu, tanquam musarum Cantabrigiensium musæum laudavit.

Circa annum 11mum Hen. 7mi Reverendus pater ὁ μακαρίτης fabricam instaurare cœpit, circa regis ejus annum 15, magistrum sive custodem, quinque socios, et sex pueros, ex reditibus ad Monasterium S. Rad. olim pertinentibus alendos induxit.

Tanto literarum patrono, jamque amplissimæ ecclesiæ feliciter præeunte et monstrante viam, alii mox viri clarissimi pientissimique optimi præsulis et fundatoris vestigia, licet non passibus æquis prementes, sociorum et discipulorum numerum novis insuper suis fundationibus auxerint.

Quos inter primo nominandus venit R. P. Jacobus Stanley episcopus Elien. 30mus primi comitis Derbiensis frater germanus, qui fructus rectoriæ ecclesiæ parochialis de Shelford Mag., in ejus patronatû positæ, ad novum sodalitium fundandum, unà cum præceptore grammaticus et hostiario appropriari fecit.

Statuta insuper Jacobus consilio suo condidit, quæ Julius 2dus pontifex Romanus, simul et collegii fundationem, authoritate Apostolicâ sancivit. Joannes episcopus, cujus nomen sit benedictionibus, vivendi rationem subministravit, Joanne morte repentinâ sublato, Jacobus dein vivendi normam adhibuit: quæ disertius notanda duxerim, quod God-

winus hunc Præsulem nullâ re memorabili præstitâ obiisse rotunde pronuntiat. Quod quam candide dictum sit, ex iis quæ diximus, et ejusdem episcopi expensas in ædibus Somersham. ornandis, et in sacello ex parte boreali ecclesiæ collegiatæ Mancestrianæ, cujus custos fuit, instaurando prorsus taceam, lector æquissimus judicet.

Nicolaus episcopus Elien. Jacobi statuta revisit, multa immutavit, revocavit nonnulla, cætera sanxit, et statutis ab eo conditis hodie utimur, quorum etiam quatuor copias habemus, omnes *sans date*, imperfectas quoque omnes, interpolatas, amanuensium incuriâ erratis scatentes, inter se discordantes, nullâ authoritate episcopali munitas.

Ricardus Pigot, Henrico 7_{mo} serviens ad legem, unum sodalitium supra manerium de Horne in Com. Suthr., sub magistro Chubbs primo collegiis præfecto sub finem regni Hen. 7^{mi} fundavit.

Circa id tempus, aliud insuper addidit Tho. Roberts de Over, super firmam vocat. le Roberts in Over, in quo oppido socius ex ejus fundatione concionem quotannis habere tenebatur per statuta Stanleiana.

Rogerus Thorney, ad unum socium alendum, varia tenementa in Burgo de Southwark ultimo suo testamento circa annum 6 Hen. 8^{vi} legavit.

An. Hen. 8^{vi} decimo, clarissimus vir Ricardus Read miles sub Hen. 7mo serviens ad legem, ab Hen. 8vo equestri dignitate ornatus, et domini summi Justiciarii in curiâ communi Placitorum titulo insignitus centum libras dedit, ad fundandam unam sodalitatem, quâ pecuniarum summâ domus transpontina cervisiaria comparata fuit, anno enim post hanc Ricardi donationem, dictam domum, per D^{em} Capon tertium collegii custodem, emptum fuisse comperio. Hic nempe ille est idem Ricardus Reade, qui tres in academiâ lecturas fundavit supra reditus, olim e monasterio de Waltham in Essexiâ, hodie autem e manerio de Badbraham exeuntes.

Magistrum autem et socios coll. Jesu fidei commissarios, ad reditus colligendos, et ad solvenda Prælectorum stipendia constituit.

Joannes Andrews clericus, rector de Waltham Mag. in Essexiâ, et canonicus Paulinus, firmam vocat. le Richards in pago Over dicto, ad duos scholares, et terras suas in Steplemorden, ad duos socios sustentandos circa 2^{dum} Edv. 6^{ti} annum moriens dedit.

Joannes Reston S.T.P. collegii socius, custos quintus, sociorum unum et scholares discipulos 7, testamento suo an. 5to Edv. 6^{ti} condito, constituit super reditus ex terris suis apud Willingham et Wilbraham in Com. Cantabr., South Bemfleet in Essexiâ, et e tenementis in vicis vulgo dictis Aldermanbury et Fleet Street Lond., exeuntes.

Joannes Fuller LL.D. collegii custos 7^{mus} quatuor socios super manerium de Graveley in Com. Cantabr. fundavit, et advocationem perpetuam ecclesiæ parochianæ circa quintum Mariæ contulit.

Hujus insuper Joannis suasû et rogatû, R. P. Thomas Thirlby Episcopus Eliensis, sex vicarias, nimirum Fordham, Suasey, Hinckson, Wittlesford, Comberton, Gildenmorden, in perpetuam collegii patronatum concessit.

Guil. Marshall armiger, Edmundi Archiepiscopi Cant. famulus circa an. 21 Eliz. scholari unico ex agro Lancastr., Cumberland., Hertford., aut Essex., eligendo stipendium constituit, ex medietate manerii de Brantingthorpe in Com. Leicestr. solvendum.

Domina Joanna relicta Oweni Wood S.T.P. decani Armacha, mox uxor Jacobi Price militis de Yvys Ymaru Gwyn in Com. Merionith. circa annum Jacobi regis 28, dono dedit domum in parochiâ S. Clementis, vocatum Sedge Hall, alias Le Ship, ad sustentandos duos discipulos, vel in insulâ Monensi vel in Com. Merionith. vel in parochiâ S. Petri, vulgo dicti Peters Le Poore, Lond., vel in parochiâ S. Fosteri, natos.

Atque ita demum sociorum fundationes numero 77 numeravimus, et totidem positas fuisse tradit catalogus iste benefactorum, quem in eorundem commemoratione sub finem cujusque termini celebratâ recensemus. Nobis autem religio non fuit, istius catalogi ordinem sequi: novitius enim est, neque justo ordine concinnatus, quandoque etiam vero parum consonus, neque denique sibi constans. Novitius est, non ante an. 1626 compositus, inter benefactores enim M. Newcome refert, qui an. 1625, socii locum inter nos occupavit. Neque debito ordine benefactores numerat, Pigotti enim et Roberti fundationes, inter primas reponendas, in locum ultimum rejicit. Cætera etiam nullâ temporis ratione habitâ prorsus recenset, ut plane raptim consarcinari videatur. Quamobrem mirari non liceat, si idem vero parum consonans sit.

Imprimis enim sex socios ab ipso fundatore, ab ipsis jactis fundamentis collegii, constitutos esse docet; statuta interim Jacobi Episcopi non nisi quinque primitus institutos tradunt. Verba statuti subjungere visum est: "Jesu collegio per nos erecto, pusillum gregem constituimus, ex sex personis magistro uno et quinque sociis."

Porro donationem sex vicariarum prædictam, catalogus benefactorum supranominatus D^ri^ Fuller tribuit, quam tamen Thomas episcopus, Fulleri licet hortatu, largitus est. Dein non sibi constat dictus catalogus, postquam enim quasi per ἀνακεφαλαίωσιν sedecim socios in hoc collegio enumerasset, inductione mox in sequentibus factâ, plane 17 enumerat. Nempe ut rem ob oculos ponam, post sex illos socios, quos ab ipso fundatore institutos esse tradit, mox septimum Jacobo episcopo, 8^vum^ Thomæ, duos itidem alios Andreæ, quatuor mox alios Fullero, alium Pigotto, alium Roystono, alium denique Roberto tribuit, 17 sc. numerat. Et quod ultimo notandum est de catalogodicto, in eo fallit, quod de fundatione unius socii per clarissimum virum Ric. Reade militem factâ prorsus tacet. Quocirca nisi 5 solum-

modo socii primitus instituti, secundum sententiam nostram superius latam, statuantur, necessum est, ut 18 numeremus, præter enim illos quinque socios, a fundatione positos, undecim alios postea fundatos fuisse probavimus.

Ex supradictis itaque firmiter concludimus 17 socios fundatos fuisse, quod autem hodie non nisi 16 numeravimus, id statuto per visitatores reginæ Elizabethæ facto tribuendum est.

Quod ad scholares, numero erant octo, definiente Jacobo episcopo cap. 3 et 4. Capite priori quatuor constituit pueros in grammaticâ et dialecticâ instructos, quorum unum in organistam, secundum in sacristam, tertium in bibliotistam, quartum in janitorem designat.

Capite sequenti, quatuor alios pueros instructos in choristas ordinat. Hunc numerum octonarium confirmat Nicholaus stat. cap. 9, quibus Andreas duos, ut diximus, Roystonus custos ante tempora Elizabethæ 7 addidit. Adeo scholarium et sociorum numerus erat tunc temporis plane æqualis, verum prædictos Eliz. visitatores, eodem statuto supra citato, discipulorum numerum, ad 15 reduxerunt. Quibus autem accedunt tres postea fundati, quorum unum magistro Marshall, duos dominæ Joannæ Price tribuimus.

Adeo ut hodie collegium Jesu, magistrum sive custodem, et 16 socios, et 28 scholares, a fundatione alat.

Quidam Joannes Sikes hujus collegii an. 1578 alumnus, A.M., rector postea de Kirton in agro Notinghamensi, annuum reditum 40sh, e terris suis juxta Wakefield in Com. Ebor. exeuntem, ad unum scholarem sustentandum, una cum bibliothecâ suâ legavit. Verum dictâ pensione nunquam hactenus collegio numeratâ, ejus donationem inter scholarium fundationes non retulimus.

Post sociorum et scholarium fundationes, libet ascribere et illam, quam sub Henrico 8vo, Joannes Batemanson LL.D. posuit de uno prælectore theologico in collegio habendo.

Statuto autem Eliz. supra memorato, dictus prælectoris theologici locus in quatuor concionatores immutatus erat.

Post sociorum et scholarium fundationes, alii insuper benefactores nomine designandi veniunt. Inter quos primo nominandus occurrit Joannes Risely miles, qui claustra suis sumptibus construxit, et plumbo cooperuit.

Appropriatio rectoriæ de Shelford Mag. prædictæ quanquam Jacobi Eliensis episcopi munificentiæ, superius a nobis tributa sit, utpote cujus in patronatu rectoria antiquitus fuit, et vicaria etiamnum est: suas tamen in hoc negotio partes etiam et Dr Eccleston custos collegii secundus sibi vendicat, qui tunc temporis rector erat dictæ parochiæ, eandemque libere resignabat.

Suas etiam partes et Ricardo Hastings militi assignamus, nec non dominæ Joannæ uxori Ricardi Pigot, Reginaldo Bray militi et dominæ Catharinæ uxori, quorum omnium impensis appropriatio facta erat. Suas denique sibi habeant et Gul. Achinson S.T.P. et Gul. Eccleston, qui operam suam et diligentiam huic negotio impenderunt.

Ad ædificia intra turrim et hortum sociorum sita instauranda, domina Joanna uxor Ricardi Hastings militis, qui insuper erat dominus de Wells et Willoughby, et domina Catharina relicta Reginaldi Bray militis, sua symbola adjecerunt.

In his ædificiis posita erat schola grammaticalis, in quâ ludimagister et hostiarius, per fundationem Stanleianam constituti, suis officiis fungebantur. Nominatio hujus ludimagistri concessa erat dominæ Catharinæ prædictæ, pro termino vitæ suæ, ratione donorum magnorum et amplorum ab ipsa domina Catharina collatorum. Quæ quidem domina, tripartito instrumento, inter ipsam et coll. Jesu et magistrum et socios aulæ Pembrochiensis de cameris et stipendiis ludimagistro et hostiario assignandis cavet.

Gotofridus Fuljambe armiger, filius et hæres Gotofridi Fuljambe de Walton in Com. Derb., hujus collegii alumnus

et pupillus magistri Laudesdale socii, pensionem annuam 20 lib., e rectoriâ de Aldenborough in Com. Notinghamensi pendendam, legavit.

Thomas Sutton armiger, fundator domus hospitalis vocatæ Le Charter-House, Lond., rectoriam impropriatam de Elmestead juxta Colcestriam collegio dono dedit, una cum perpetuâ advocatione vicariæ.

Advocationem perpetuam ecclesiæ parochialis de Harlton in Com. Cantabr. ex dono Joannis Duport S.T.P. collegii custodis possidemus.

Nec reticendum est, quod cum rex Henricus 7mus jus fundandi coll. Jesu, ut diximus, concesserit, alii insuper reges et ejusdem successores licentiam augendi ejusdem collegii patrimonium indulserint, per literas suas patentes, quæ sub sigillo magno libere et sine feudo emanarunt.

Edvardus 6 dedit, per literas patentes, potestatem ponendi terras in manum mortuam, in usum collegii, ad annuum valorem 50lib. Similes literas amortizationis ad valorem annuum 200lib. Jacobus rex concessit.

Regina Eliz. an. 3tio in statuto per visitatores ejus lato, et superius citato, annua stipendia sociorum et mensæ impensas auxit, sociorum et discipulorum numerum contraxit, illos nempe 16, hos 15 constituit. Loco unius theologici Prælectoris et theologiæ Prædicatores privilegiis ornatos substituit. Denique divus Carolus relaxationem statuti sexti, de numero sociorum ex uno comitatû eligendorum, indulsit.

In ærarium collegii sua symbola conjecerint,

Stephanus Hall, S.T.P. collegiique præsidens, 30lib.
Guil. Davye, A.M. socius, 30lib.
Guil. Petty, S.T.B. 200lib. legavit, quas autem perfidus executor nunquam numeravit.

Bibliothecam tenui supellectile ante annum 1600 instructam, benefactorum liberalitas auxit, inter quos in primis numerandi sunt:—

Edv. Hawford, hujus collegii alumnus, mox custos collegii Christi.
Edm. Pierpoint, custos 6tus.
Jos. Randall. LL.D. socius.
Carolus Bellasin, LL.D. socius.
Lionell. Ducket, S.T.B. socius.
Ricardus Gascoigne, generosus.
Henricus Hutton, S.T.B. socius.
Guil. Wrigleswood, A.M.
Nicholaus Cook, armiger.
Joannes Twickten, S.T.B. socius.
Steph. Hall, S.T.B. præsidens.
Domina Joanna Bowles de Orientali Ham in Essexiâ.
Guil. Fairfax Hon. domini Ferdinandi vicecomitis Fairfax frater germanus, canonicus Eboracensis.
Joannes Martin, A.M. socius.

Ecclesia parochialis S. Radegundis figurâ cathedrali constructa, et nomini Jesu dicata, collegio Jesu circa an. 1291 erat impropriata, et cœnobio in collegium verso, in sacellum collegii destinata. In quo ante tempora Edv. 6ti præter summum altare domini, aliud erat ex sacelli parte boreali S. Catharinæ, aliud ex parte australi S. Margaretæ dicatum, super quibus missas in exequiis benefactorum celebrabant. Etiam et post illa tempora, dicti sacelli fenestras beatissimi Salvatoris, B. Mariæ virginis, S. Apostolorum, Patrum, totius etiam hierarchiæ angelicæ effigies, miro artificio elaboratæ ornabant.

Altare Domini magnifico apparatû splenduit; totum denique sacellum locus non indignus videbatur, in quo sancti sacerdotes summo numini litarent. Verum intestino bello nuper orto, et rebellione sæviente, nova rerum successit, sed longe indignissima facies. Omnia utensilia sacra in spolia opima, totiusque sacelli apparatus sacrilegis in prædam cessere. Vero reduci demum, cum bono Deo, serenissimo rege Carolo 2do, et redintegratâ ecclesiâ, templis mox et proseuchis suus quoque honor restituebatur. Diruta domini altaria instaurantur, mensa sacra decoro apparatû sternitur, peripetasuatis circumducitur, de auratis crateris ornatur, juge sacrificium offertur: divini denique nominis laudes organorum pneumaticorum modulatione undique resonantur.

Hæc autem omnia collegium Jesu, non exhausto ærario debet, sed filiis et alumnis pientissimis, qui in paupertinæ

matris subsidium vocati, læti alacresque accurrunt. Quorum nomina sequens catalogus dabit.

Robertus Morgan, S.T.P. Episcopus Banchoriensis.
Joannes Goodricke, } milites.
Jo. Dawney, } milites.
Jo. Poley, } milites.
Guil. Doyley, } milites.
— Winne, S.T.P. canonicus Asaphensis.
Geo. Evans, S.T.P. canonicus Winsoriensis.
Hen. Hitch, LL.D. Eliensis cancellarius.
Thos. Hitch, A.M. ecclesiæ Eliensis canon minor.
Leon. Litchfield, A.M.
Paul. Lawrence, A.M.
Jo. Pearson, S.T.B. collegii custos coll. S. Trin. Præfectus.
Jos. Beaumont, S.T.B. coll. custos 18, custos coll. Petri.
Thos. Stephens, S.T.P. rector de Fen Ditton.
Gul. Paine, A.M.
Ed. Blaickston, A.M.
Hen. Beale, A.M. socius.
Hugo Hoyd, S.T.B. vicar de Fordham, rector de Cheaveley.
Thos. Buck, armiger, bedellus.

Horum virorum pientissimorum munificentiæ pulchre Deo fœneratæ debemus, quod supremum numen in splendoribus sanctitatis colamus ευχεμόνως και θεοπρεπῶς.

Illud vero non prætereundem est, quod aucto, ut supra diximus, sociorum et scholarium numero, studentium quoque numerus in tantum crevit, ut studendi locus non amplius superesset, musæque Jesuanæ augusto claustrorum limite conclusæ æstuarent. Quamobrem circa an. 1637 reverendus vir, felicis recordationis custos Dr Sterne, qui hodie merito audit reverendus archiepiscopus Eboracensis, unacum collegii sociis dignissimis, de musarum sedibus ampliandis, de novo viz. ædificio in atrio exteriori ponendo, consilia ineunt,

—— Quorum virtutibus obstat
Res augusta domi ——

Neque tamen ab honesto et generoso planè proposito statim divelluntur, sed literis supplicibus, suadâ et medullâ plenis, clarissimorum virorum (hujus collegii alumnorum) animos ad benefaciendum faciles demulcent. Roganti matri et penuriâ laboranti, pientissimi filii pecuniarum summas plenâ manu impertiunt.

Inter quos primo nominandus, et suo quidem merito, venit Christopherus Hatton Baro de Kirby, qui præter 100 lib. largitionem, liberum lapicidinæ usum concessit.

Hon. virum et patronum munificentiss. sequuntur

Guil. Baro Alington de Horseth.
Jo. Baker de Sissenhurst, miles.
Ric. Hutton, miles, dominus justitiarius communium placitorum.
Jo. Brampton, miles, dominus summus justitiarius Angliæ.

His proxime sequuntur

Thos. Westfield socius, episcopus Bristoliensis.
Guil. Bowyer de Denham, Ric. Onslow, } milites.
Heneag. Proby, Ambr. Brown, } milites.
Jo. Squier, S.T.B. socius.
Phin. Hodgeson, LL.D. cancellarius ecclesiæ Eboracensis.
Guil. Beale, S.T.P. hujus coll. dein D. Johannis custos.
Guil. Boswell, miles, socius, legatus ad Belgas.
Thos. Buck, bedellus armiger.

His denique adnumerandi:

Ric. Everard, miles.
Robertus Hatton, miles.
Edm. Proby, S.T.P.
Gul. Fairfax, S.T.P.
Jo. Boylston, S.T.P. soc. Decan. de Rippon.
Jo. Twickten, S.T.P. soc.
Hen. Willis, S.T.B. soc.
Ric. Taylor, S.T.B. soc. Rect. de West Mill.
Jo. Brownig, S.T.B. soc.
Hen. Hutton, S.T.B. soc.
Mr. Jo. Linch
Mr. Jo. Gerrard.
Mr. Abr. Gates.
Gul. Piot, arm.
Mr. Gul. Short.
Mr. Thornton.
Mr. Guil. Clerkstone.
Mr. Guil. Warren.
Fr. Vernon, armiger.
Mr. Westfield.
Mr. Robt. Level.
Mr. Martin Warren.
Mr. Thos. Overman.
Mr. Hugo Floyd, S.T.B.
Ant. Cage, miles, 30 lignorum plaustra contulit.

Quod supererat expensarum, magister sive custos collegii et socii e suis dividendis quotam partem quotannis distrahentes, et virtutis plane singularis exemplum, seris nepotibus imitandum, objicientes, persolvebant.

Horum munificentiâ summâ, rarâ pietate, prudentiâ singulari, novum ædificium fundatum fuit, cujus lapidem angularem felici quidem manû posuit prædictus custos, circa an. 1638. Opus autem eleganter et affabre concinnatum ad

culmen et fastigium celsum et spectabile quidem, vetustioribus nempe ædificiis parallelum, circa an. 1643 perductum erat.

Quo anno rebellione Cromwellianâ obortâ, custos dignissimus solius fidelitatis erga regem D. Carolum reus, et solenni Scotorum rebellium ligæ et fœderi Presbyteriano renuntians, e novo quod muris posuisset domicilio amotus, in Martis castra rejicitur, et e collegii claustris liberatus authoritate nescio quâ visitatoriâ, ad ergastula et repagula damnatur.

Id viro pientissimo solatii reliquum erat, quòd quos collegii, eosdem et infortunii socios habuit, etiam omnes, duos si excipias, quorum alter ponè siparium securus stetit spectator istorum malorum, quæ alii fortiter et constanti animo sustinuerunt, alter interius ægre ferens almæ matris exequias contueri, propriæ funeri parentavit, et ut aliorum perditissimas nempè perduellionum manus effugeret, suas sibi violentas intulit. Sociorum autem tempore rebellionis amotorum nomina, in suo quoque loco sunt notanda.

Cumque hactenus de collegio primitus fundato, et deinceps sociorum et scholarium adjectione aliisque largitionibus aucto diximus; superest, ut de collegii magistris sive custodibus, sociisque qui inter nos studuerunt, porro agamus. Dicti nimirum illius haud infaceti non immemores—non dominus domo, sed domus domino cohonestatur.

Nomina Magistrorum.

1. Guil. Chubbes.
2. Joan. Eccleston.
3. Thos. Alcocke.
4. Guil. Capon.
5. Joan. Reston.
6. Edm. Pierpoint.
7. Joan. Fuller.
8. Thos. Redman.
9. Edv. Gascoigne.
10. Joan. Lakin.
11. Tho. Ithell.
12. Joan. Bell.
13. Joan. Duport.
14. Roger. Andrews.
15. Guil. Beale.
16. Ric. Sterne.
17. Joan. Pearson.
18. Jos. Beaumont.
19. Edm. Boldero.

Tabula,

Exhibens nomina omnium magistrorum sive custodum collegii Jesu, in Acad. Cant., eorum ad invicem successiones, annum admissionis, gradum, patriam, officia quæ in Academiâ gesserunt, dignitates, beneficia quæ in ecclesiâ adepti sunt, ab ipsis collegii primitus jactis fundamentis, an. 2 Hen. 7mi, an. Domini 1496, ad annum usque 19 serenissimi regis Caroli 2di, et secundum computum ecclesiæ Angl. 1667, perpetuâ serie deducta.

1. Gulielmus Chubbes, alias Chuffes, natus in villâ de Whitby in Com. Eboracensi, S.T.P. ex aulæ Pembrochiensis præside, ab ipso collegii fundatore, reverendo in Christo Patre Eliensi Episcopo Jo. Alcocke, primus hujus collegii magister sive custos constitutus erat, 13. Hen. 7mi.

Dignissimum hunc virum et de collegio Jesu optimè meritum celebrat Jo. Major Scoto-Britannus. In eo autem erat, quod Stubbs dixit pro Chubbs. Eundem errorem erravit Isaacsonus eo fortsan deceptus, quod quidam Dr Stubbs, illo ipso tempore, sed aulæ Clarensis custos, floruit. Verum et Isaacsonus secundum errorem, et chronologo sane vitio vertendum admisit, viz. quod Stubbium suum an. 1492 in hujus collegii magisterium induxit: stante nempe adhuc monasterio, quasi priorem in cœnobio non custodem in collegio constituerat.

Circa nomenclaturam facile erat labi, quippe quod in aulâ Pembr. cujus alumnus, socius, et præsidens fuit, de ejus nomine non constat: unde factum est, quod cum nihil certi hac in re compertum erat, R. P. Mathæus Episcopus Eliensis qui istius aulæ historiam et quidem ἀκριβῶς ut assolet, adornavit, hunc custodem nostrum, primum inter istius aulæ socios numeratum, pluribus nominibus compellavit, viz. Chubbs, Jubbs, Chubbis, Jubbys. Quibus addi possit et Chuffes, sic enim nomen ejus notatum in instrumentis obsoletis, ipsemet observavi.

Πολυώνυμος, vir insuper multarum literarum, et dignus qui huic collegio primus præficeretur custos, si Jo. Major præ-

dictus vera scripsit, loco enim supra citato ait, quod hujus D^{ris} consilio et suasu cœnobium in collegium convertebatur.

Aulæ suæ memor, nonnulla suis Pembrochianis dedit. Edidit, narrante Parkero, introductionem logices et declarationem Scoti in secundum.

2. Joannes Eccleston, S.T.P. secundus succedit collegii custos 22do Henrici 7^{mi} rector ecclesiæ parochialis de Shelford Mag. in Com. Cantabr. quam in manus R. P. Jacobi Stanley Eliensis Episcopi resignabat: reverendus autem pater, eandem huic collegio uniri et appropriari fecit, licentiâ a Julio 2do Papâ, et Henrico 7mo in id prius obtentâ, Roberto Priore cum capitulo, et Thos. Alcocke Archidiacono Eliensi consentientibus; et super dictam rectoriam sic appropriatam, idem R. P. unum sodalitium fundavit. Post hanc resignationem, Joannes diu floruit custos, Procancellariâ dignitate etiam tertiâ vice ornatus. Vir quidem ad imperium natus, verum tanto onere toties pressus, tertio anno tandem succubuit, mense siquidem Febr. 1515 obiit academiæ Procancellarius, non multò ante mortem episcopi Eliensis cancellarius constitutus.

Vir quidem et ille multorum nominum, Eccleston, alias Ecculston, alias Eglyston, alias Eggleston, tot nempe nominibus describitur in instrumento quodam, ut dicitur, pardonationis, seu ἀμνηστίας omnium criminum, delictorum, etc. concesso huic D^{ri} Eccleston, necnon sociis collegii, ab Henrico 8vo, anno regni sui primo.

3. Tertius ab ipsâ fundatione præfectus, ab ipso fundatore cognominatus est, et ex eâdem familiâ oriundus Thomas Alcocke, LL.D. Archidiaconus Eliensis supra nominatus admissus erat 1515: et anno nondum exacto, magisterio se abdicavit.

4. Gulielmus Capon, S.T.P. D^{ri} Alcocke successit. Unus erat executorum Ricardi Reade militis, summi communium placitorum justitiarii. Qui quidem Ricardus tres in Academiâ lecturas, unum in hoc collegio sodalitium fundavit,

an. 1546, loco cessit. Fallit Caius, dum hunc D[rem] primum custodem numerat, et priores prorsus omisit.

Hujus Gulielmi rogatu, Jo. Batemanson, LL.D., unam theologiæ prælectionem super reditus de Lothbury London. fundavit. Visitatores autem Reginæ Eliz. sublato theologiæ prælectore, quatuor prædicatores ejus loco, et ex eodem reditu alendos constituerunt.

5. Primo Edwardi 6[ti] Jo. Reston, S.T.P. in hujus collegii magisterium suffectus est, Rector de Heildersham in Com. Cant., collegii Jesu alumnus, socius. Thos. Gooderick, episcopus Eliensis, advocationem hujus præfecturæ concesserat domino Thomæ Audley militi, summo Angliæ cancellario, cujus vi et jure Thos. Barber armiger, Cancellarii executor, præsentabat Joannem Reston ad hanc præfecturam anno supradicto. Primus qui 5 sociorum numero inclaruit; quorum numerum etiam auxit; unum sodalitium fundavit, et septem discipulatus, super fructus de Wilbraham. Mag. in Com. Cant., Aldermanbury London. et Lolworth Marish Essex.

Cameram juxta magistri cœnaculum, a parte boreali sitam, cui immediate subjicit introitus in claustra, vir pius sibi in oratorium consecrari fecit; canonicus Paulinus. Reston, sic ipse suum nomen semper scripsit: Caius ergo Royston male notavit.

6. Edmundus Pierpoint, S.T.B. socius collegii Christi 1548: academiæ a concionibus ex fundatione dominæ Margaretæ 1549, 5[to] Edv. 6[ti] custos sextus constitutus. Donationem prædictam prædecessoris sui D[ris] Reston, juridicè ratam fieri curavit; bibliothecam auxit. Anno primo Reginæ Mariæ, a præfecturâ amovebatur.

7. In locum Edmundi suffectus erat Joannes Fuller Glocestriensis 10[mo] Mar. 1553, Præbendarius Eliensis, rector de Ditton et Heildersham in Com. Cant., vicarius generalis Thomæ Thirlby episcopi Eliensis, custos et benefactor. Quatuor enim sodalitia fundavit, super maneriuin de Gravely,

cujus etiam ecclesiæ parochialis advocationem perpetuam collegio concessit. Tertiam insuper bonorum partem eidem moriens legavit. Oxoniensis academiæ alumnus erat, e collegio Omnium Animarum, LL.D. et incorporatus Cantabrigiæ ; Jul. 30, 1558, nostram academiam demeruit.

8. Anno regni Eliz. 1mo Thomas Redman socius collegii SS. Trin. S.T.B. hujus collegii magister legitur, sequenti anno cessit. Quidam Tho. Redman senescallus Tho. Thirlby episcopi Eliensis, constitutus erat executor Dris Fuller. Duo eodem nomine gaudentes episcopi leguntur, quorum alter Ricardus, nimirum R. P. Joanni Alcocke hujus collegii fundatori, in sede Eliensi, immediatè successit. Alter autem Gulielmus floruit episcopus Nordovicensis. Quo autem secessit noster Thomas, non constat.

9. Edvardus Gascoyne socius Petrensis, Procurator Acad. 3tio Edv. 6ti in custodem hujus collegii promovebatur Eliz. 2do, agro Eboracensi natus, LL.D., ex cujus familiá oriundus Ricardus Gascoyne hujus collegii 1594 alumnus, octogenarius moriens an. 1563: collegio legavit totam suam bibliothecam.

10. Joannes Lakin, S.T.B. e socio collegii D. Joannis fit hujus collegii socius, et Eliz. 4to succedit custos decimus, per unum annum socii, per alterum Magistri loco gaudebat: intra triennium utrumque dimisit.

11. Collegium Jesu inter Oxonienses, solis Wallis fundari accepimus, collegium Jesu inter Cantabrigienses, unum socium ex antiquâ illâ Britannorum gente, ab ipsâ collegii pene fundatione semper alebat, et etiamnum alit, adeo ut præscriptionis titulo sibi jus ad unum sodalitium vindicare soleant. Verum Thomas Ithell primus erat, qui ex Cambro-Britannis hujus collegii Magister floruit, Eliz. 5to admissus, collegii M. Magdalenæ socius, LL.D., Præbendarius Eliensis, ejusdemque ecclesiæ cancellarius sub Ricardo Cox Præsule, rector ecclesiæ parochialis donativæ de Elme cum Emneth in insulâ Eliensi.

12. Joannes Bell, collegii S. Joannis alumnus, dein socius collegii S. Petri ibidem Eliz. primo Procurator Acad. S.T.P. hujus collegii Præfectus nominabatur Eliz. 21mo, Rev^{di} patris Ricardi Cox episcopi Eliensis sacellanus, ejusdemque ecclesiæ canonicus, et e canonico evasit Decanus. Rector de Fulburne S. Vigarii et Ditton in Com. Cant., Procancellarii titulo ornatus 1582.

13. Joannes Duport de Shepshed in Com. Leicestr. tertius legitur, qui e collegii socio, in ejusdem custodem promovebatur Eliz. 32do, S.T.P. rector de Fulham in Com. Middlesex., rector de Bosworth et Medburne in Com. prædicto, Præcentor ecclesiæ D. Pauli, Londinensis, ejusdemque ecclesiæ Cath., necnon et Eliensis canonicus. Procuratoriâ dignitate ornatus 1580, Procancellarii authoritate clarus 1593, 1594, 1601, 1609, collegii custos et benefactor dedit perpetuam advocationem de Harleton.

Vir equidem literarum Græcarum callentissimus, et dum hujus collegii custos erat, filium Jacobum natu minorem seminavit Hellenisticum, Græcæ nimirum linguæ in hac academiâ Professorem 1640, collegii S. Trin. Vicemagistrum, decanum Petroburgensem.

14. Rogerus Andrews Londinensis, S.T.P., secundus legitur, qui e socio aulæ Pembrochiensis, collegii Jesu custos evasit, et eodem quidem anno, quo cometa ille memorabilis in cœlo comparuit, an. nimirum 1618, vicarius de Chigwell in Com. Essex. dein rector de Cockfield in Com. Suffolk., de Cheviton in Com. Hant., et rector ecclesiæ donativæ de Emneth in insulâ Eliensi, canonicus Eliensis, Southwellensis, Wintoniensis, etiam et Cicestrensis, ejusdemque ecclesiæ Cath. Archidiaconus et Cancellarius.

Hujus in eandem cedit, quod omnium primus, a collegio primitus fundato, ephemeridem sive registrum conscribi curavit: et sane cum nemo hactenus collegio a memoriâ, nimirum Registrarius extiterit, neutiquam mirari liceat, si antiquiora collegii acta tradantur oblivioni. Quamobrem

et nos quoque tam obscura vestigia prementes, veniam facilem impetraturos confidimus, si in nonnullis errasse videamur. Vir quidem erat translatione Bibliorum in linguam vernaculam inter alios celebris. Verum ad augendam hujus D^ris^ famam, illud ante omnia accedit, quod Reverendo patri Lanceloto Eliensi episcopo, mox Wintoniensi, frater erat germanus, episcopo Lanceloto mortuo superstes quidem erat Rogerus, verum exiit custos: Præfecturâ enim non ita multò post cessit, ἑκὼν ἀέκοντι δὲ θυμῷ.

15. D^re^ Andrews loco cedente, in locum vacantem succedit Gulielmus Beale Hyeronymo aulæ Pembrochiensis magistro frater germanus, S.T.P., in agro quidem Oxoniensi natus, verum in academiâ Cant. institutus, collegii S. Trinitatis nempe alumnus, quartus et ultimus qui in sociorum et magistrorum hujus collegii album conscriptum numeratur. Socius admissus erat 1611, custos pridie id. Julii 1632. Rector de Cotingham in Com. Northamp. et de Pauls Perry in Com. prædicto. Diu quidem floruit socius et pupillos bene multos, eosdemque magni nominis viros et imaginibus claros, tutor nominatissimus instituit. Verum magistri titulo parum gaudebat, anno enim ab admissione recens exacto, mandato serenissimi Principis Caroli cui erat a sacris, ad Præfecturam collegii D. Joannis translatus erat. A collegio Joannis ingruente bello amotus, et in carcerem rejectus, unde tandem ereptus, Oxonium adiit, ibidemque Decanus Eliensis nominabatur. Inde peregrè proficiscens, cum honoratissimo domino Cottington regis legato Hispaniam concessit, et Madriti demum, in causâ regiâ honorificum ostracismum passus, exul obiit.

16. D^re^ Beale ad Joannenses translato, Ricardus Sterne, ex alumno collegii S. Trin. in socium collegii Corporis Christi olim electus, ex socio Benedict. in hujus collegii magistrum instituebatur nonis Martii, 1633. Quo anno erat S.T.B., in eâdem vero facultate Professor evasit, 1635, rector de Harleton in Com. Cant. et de Yevelton in Com. Somerset., vir quidem non sive honore nominandus, qui postquam

sacellum collegii organis pneumaticis iisque sonantioribus cæteroque apparat sacro splendidoque ornaverat, novi ædificii in atrio exteriori, versus plagam aquilonalem, prima fundamina posuit: æternum sc. Musarum domicilium, juxta et nominis sui monumentum. Huic tam præclaro operi, dum ultimam admovebat manum, gliscebat bellum illud Presbyterianum, et vir dignissimus vi et armis ab hoc novo quod Musis condiderat hospitio amotus, in novos indies conjectus erat.

Custode in custodiam tradito, in ipsius locum subintravit Thomas Young, A.M., postea S.T.P., vicarius de Stow Market in Com. Suffolk., Scoto-Britannus, Presbyterianorum Smectymnianorum Principilus.

Pari authoritate fultus, Joannes Worthington Lancastriensis, collegii Emanuelis Præsidens S.T.B., dein D^r, primum occupantem sequitur, Acad. Procancellarius 1657, et hujus Præfecturæ fuit locum tenens usque ad annum 1660, annum istum ecclesiæ Angl. jubilæum, annum Platonicum, in quo omnia, nuperâ Fanaticorum rabie suis sedibus mota et deturbata, in statum pristinum reponebantur. Hic siquidem annus, Angliæ Regem serenissimum Carolum 2^dum, ecclesiæ Mathæum Eliensis sedis episcopum, collegii Jesu visitatorem, collegio Jesu D^rem Sterne custodem suum vigilantissimum feliciter reddidit. Quem tamen vix reddiderat, quin et idem annus abstulit, sed ut in sedem episcopalem promoveret. Verum major erat, quam qui istius sedis angustiis contineri diu poterat; proin idem Reverendus pater, qui olim totius Angliæ Primati Guil. Archiepiscopo Cant. a sacris domesticis erat. Anno demum 1663 evasit sacrorum antistes, Angliæ Primas et metropolitanus, ab episcopatû nimirum Carl., ad sedem Archiepiscopalem Eboracensem evectus. Sic magnum collegii et almæ matris academiæ decus et ornamentum, in S. matris ecclesiæ lumen et columen inclaruit:

——uno avulso non deficit alter
Aureus.

17. Joannes Pearson natus apud Snoring in Com. Norfolc., patre Dre Pearson Archidiacono Norfolc., in scholâ Etonensi institutus, in collegii Regalis scholarem electus et admissus, et ex scholari in socium cooptatus, et ex sodalitio in Præbendar. Sarisbur. et Elien., in Archidiaconatum Surrien., et vicariam Sti Christopheri Lond., inductus, Reverendi Episcopi Carl. succedaneus hujus collegii custos constitutus erat non. Decembr. 1660, S.T.Dr, beneficio et Præbendâ Sarisbur. dimissis. Sequenti anno S.T. Professor, ex fundatione dominæ Margaretæ, communi calculo electus erat: omnibus nimirum ex ipsius commentario in symbolum apostolicum recens edito, facilem conjecturam capientibus, qualis deinceps futurus erat theologus, et quam cathedrâ dignus.

Bibliothecam et ærarium collegii auxit legatis magistri Stephani Hall, hujus collegii Præsidentis et Eliensis Canonici, cui erat executor solitarius, nec fidus modo sed et gratus: ipso enim rogante, extulerunt Stephanum viri εὐλαβεῖς, cumque ejus exequiis pie parentaverat, Stephani quod reliquum urnâ marmoreâ in collegii sacello claudi jussit.

Verum biennio nondum exacto, vir clarissimus ex ædibus hisce nostris augustioribus, ad ædes basilicas translatus erat, mandato nimirum serenissimi principis Caroli 2di, collegii Stæ et individuæ Trinitatis magister institutus. Haud tamen prius discessit, quam ad sacellum collegii exornandum symbolum de proprio ære adjecerat.

Duo in hac academiâ collegia, in unius episcopi Eliensis clientelam ab ipsis utriusque collegii primitus jactis fundamentis, concesserant: domus nimirum S. Petri et coll. Jesu. Reverendus in Christo pater, ecclesiæ dictæ episcopus ex alterâ Musarum sylvâ ilicem unam grandiorem et proceram magis in lucum Jesuanum transfert.

18. Josephus Bello-Montanus natus in emporio de Hadleigh in Com. Suff., collegii S. Petri olim socius, ecclesiæ

Eliensis canonicus, rector ecclesiæ donativæ de Emneth in insulâ Eliensi, regiæ Majestatis a sacris, in hujus collegii præfecturam inductus erat 13 calend. April. 1662, quo etiam anno rector ecclesiæ de Cunnington in Com. Cant. instituebatur.

Verum radices inter nos vix dum egerat, cum ad solum natale, nuper impinguatum, instante vere transferebatur, et cathedram S. Petri non tam primatus desiderio motus, quam Reverendi patris voluntati obtemperans, conscendebat. Sic palma, iniquitate temporum durius in Petrensi horto pressa, altius enitens, eadem inter pomaria caput demum extulit.

Dum inter nos commoratus est, sacellum collegii sacrilegâ manu turpiter violatum ornari curavit εὐσχημόνως καὶ θεοπρεπῶς, altare sc. Domini instauravit, serico apparatu mensam illam sacram stravit et peripetasmatis sericis circumduxit. Dimisso collegio dimisit etiam rectoriam de Cunnington, institutus in rectoriam de Teversham et in rectoriam de Barley in Com. Hertford.

Vir quidem Musis clarissimus, poema edidit, quod Musarum filii manibus suis dudum versarunt, Psyche dictum: poema inscribitur Francisco Beaumont, in nonnullis exemplaribus, incuriâ impressoris, author autem erat Josephus:

Hos hic versiculos fecit, tulit alter honores.

Tractatum insuper edidit, contra novitia quædam dogmata domini Henrici Mori; ex quo discat lector, quantus sit theologus, et quam germanus ecclesiæ Anglicanæ filius.

Et jam tandem post tot annorum curriculum, anhelo cursu emensum, liceat pedem probe lassum, eo unde primum movere cœperat referre, et ibidem sistere.

19. Edmundus Boldero, S.T.P. dictæ aulæ socius, in Burgo S. Edmundi Suffolc. in agro natus, in ecclesiâ S. Laurentii Gippovicensis olim concionator, rector de Harkested in eodem Com., mandato et collatione Mathæi episcopi prædicti, hujus collegii undevicesimus et ultimus qui hactenus eo titulo floruit custos, sexto cal. Maii 1663, inductus erat.

Ab eodem domino et patrono episcopo, a quo olim rectoriâ de Westerfield in Com. Suffolc. donatus erat, institutus postea in rectoriam de Glensford in Com. dicto, et in rectoriam de Snailwell in Com. Cantabr. dioceseos vero Nordovicensis.

Vir quidem de rege Carolo, tam primo, quam secundo benè meritus quorum nimirum gratiâ, non in Angliâ modo, verum in ultimâ Thule sub illustrissimo comite Montis Rosarum

Multa tulit fecitque—— .

Novis indies vinculis onustus, quasi nullis teneri, de carcere in carcerem raptus, quasi nullo claudi poterat. Quorum tamen vel ipsa nomina catenam conficerent, quæ mehercule vel ipsum Herculem constringerent.

Verum tot tantisque malis, cum bono Deo ereptus, et ad Musas reversus, collegium hoc nostrum demereri pergit. Organa pneumatica temporum discordiâ difflata instauravit. Super altare Domini,

"Pateris libavit et auro.
Sic una eademque aula Pembrochiana
Magistrorum chorum et ducit et claudit."

FINIS.

CANTABRIGIÆ: EXCUDEBANT METCALFE ET PALMER.

TO BE PUBLISHED EARLY IN 1841,

In One Vol. 8vo., price 10s. to Subscribers before Publication, and 16s. to Non-Subscribers,

---

A CATALOGUE

OF THE

Manuscripts

PRESERVED IN THE LIBRARIES

OF THE

UNIVERSITY OF CAMBRIDGE.

By JAMES ORCHARD HALLIWELL, Esq., F.R.S.

OF JESUS COLLEGE, CAMBRIDGE,

ENGLISH CORRESPONDENT OF THE FRENCH HISTORICAL COMMITTEE OF SCIENCES UNDER THE PARIS RECORD COMMISSION; MEMBER OF THE ANTIQUARIAN SOCIETIES OF LONDON, PARIS, EDINBURGH, COPENHAGEN, NORMANDY, ROME, AVRANCHES, AMERICA, NEWCASTLE-UPON-TYNE, OXFORD, ICELAND, AND MADRID; HONORARY MEMBER OF THE CYMMRODORION, OF THE ROYAL GEOGRAPHICAL SOCIETY OF PARIS, OF THE ASIATIC AND HISTORICAL SOCIETIES OF PARIS, AND OF THE ACADEMY OF SCIENCES AT LISBON, &c. &c. F.R.A.S., M.R.S.L., M.R.S.N.A., &c.

CAMBRIDGE:

PRINTED BY METCALFE AND PALMER, TRINITY STREET.

1840.

Cambridge, University cf

Sherman, Jchn
Histcria collegii Jesu Cantabrigiensis.

